



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

84. Sergivs dubius de vase quodam argenteo, num ad se potius, quâm ad Sergilium spectet, non potest quidem præscriptionem inchoare, at bene c[a]eptam continuare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

quia talis venditio debet esse contractus ex vtraque parte onerosus, qualis non esset iste ex parte dantis, cum vsus sit continuò reuocabilis, vt rectè Lugo *loc. cit. n. 48.* Si tamen onus aliquod vtrinque intercederet, difficulter improbaretur etiam talis venditio, vt insinuat Sanchez *loc. cit. n. 22.* quamuis benè moneat Lessius *loc. cit. n. 37.* æstimationem ac venditionem solius dominij aut vsûs nec esse, nec debere esse in praxi propter varias fraudes intercurfuras. *Ad id,* quod fuit additum de loco & subiecto dominij, si istud per Seraphinum separaretur ab vsu, dicimus, illud remansurum penes offerentes, qui vtique accommodare se volent piæ Seraphini accipientis voluntati. Quod si tamen aliqui offerentes nollent retinere dominium, haberent se res oblatae tanquam bona derelicta, & consequenter à quolibet tunc accipi & vsurpari possent absq; furto. *Non obstat* axioma allatû; hoc quippe verum tantûm est, quando res ponitur esse in dominio alterius: secus si ponatur tanquam res derelicta, quæ fit primò occupantis, si eo animo occupet, vt dominium illius acquirat.

LXXXIV. *Sergius dum res lustrat suas, incidit in vas aliquod argenteum magni pretij, de quo dubitat, num ad se potius, quàm ad Sergilium affinem suum spectet, & quidem videtur ipsi magis*

ad istum spectare. *Quæritur. Quid hîc faciat Sergius, an vas istud præscribere possit?*

Videtur Sergium non posse vas istud argenteum præscribere. Nam ex comuni Doctorum, qui dubitat, an res sua sit, an alterius, iniquè agit, eam sibi vendicando, cum antequam possideat, non sit melior conditio ipsius, quàm alterius; quod maximè verum, si post factam inquisitionem in eam magis propendeat partem, quod sit aliena, vt docent Sanchez *lib. 2. de Matr. Diss. 4. n. 19.* Valent. Coninck & plures alij, quia tunc non est par ratio huius, & illius, ad quem res spectare putatur, sed maiores rationes stant pro illo altero, quàm pro isto.

Resp. 1. Sergium cum hoc dubio præscriptionem inchoare quidem non posse: at bene inchoatam bonâ fide continuare. Ita ex communi Layman *l. 3. tr. 1. c. 8. n. 10.* Ratio prioris est. Quia in dubio fauendum est reo potius, quàm actori; vnde actore non probante reus absolvitur. Atqui volens inchoare possessionem talis vasis gerit munus actoris; quippe vult deturbare à possessione eum, de quo dubitat, nū sit legitimus possessor. Ergo nisi positivè & sufficienter probet, rem non esse illius (vti Sergius in proposito casu non sufficienter probat, hoc ipsò, quia dubitat) debet reus absolui, & in meliori conditione possessionis relinqui.

Ratio

Ratio posterioris est. Quiaposito, quod quis hactenus fuerit possessor bonæ fidei, melior est ipsius conditio, quamdiu non sufficienter probetur, rem non esse ipsius, ut habetur *ex c. si Virgo. 34. q. 2.* Atqui Sergius dubitat primum post possessionem ritè iam inchoatam, & usque huc prudenter iudicavit, vas istud esse suum, nec aliud sufficienter probatur. Ergo melior est conditio ipsius tanquam possidentis. Ergo continuare præscriptionem potest, modo interim moralem diligentiam adhibeat veritatis indagandæ. Resp. 2. Sergium, etiamsi post factam inquisitionem magis eò propendeat, quod vas illud argenteum sit alienum, nihilominus præscribere ac retinere id posse. Ita Palao *de Conscient. D. 3. pun. 2. n. 11.* post Vasquez, Salas & alios. Ratio est, quia titulus possessionis præponderat omnibus rationibus non conuincantibus, hoc est, quæ nõ moraliter te certum reddunt, rem esse alienam. Ergo sufficit, quod Sergius adhuc probabiliter credat, vas istud esse suum, ut maneat possessor bonæ fidei.

Atque ex his simul patet ad argumenta in contrarium. Nam primum probat solum, præscriptionem inchoari cum tali dubio non posse. Alterum verò ipse Sanchez advertit debile; unde *l. 1. in Decalog. c. 10. n. 9.* sententiam suam mutauit, & contrariam asseruit.

LXXXV. Sigefridus Comes Eccles. Collegiata ad

Zs

S. Adel-